

dicto: se nihil scire, nisi hoc unicum, quod nihil sciret, abutens, id genus orationis, quod Plato tradiderat, per interrogationem & responsionem, ex umbrâ in contentiosius certamen primus eduxit, referente Laertio in vitâ ejus.

§. V.

*sentur.* Sed veritatem nullus ex mente evellere poterit, nisi contra reclamantem agere conscientiam, & Deum veracissimum deceptorem appellare non erubescat. Multa scimus, quæ sunt vera; scimus nos cogitare, scimus Deum esse, scimus partem totô non esse majorem. Objiciunt, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, sensus autem esse fallaces, hinc nihil certi in mente meâ esse posse; sciant, in mente multa esse, quæ non introiverunt per sensus; per quem sensum cogitatio in mentem pervenit? cum nihil extra mentem sit, quod cogitationis ideam ingerat. Per quem sensum idea Dei in mentem meam introiit, cum nulla creatura creatorem representare valeat. Quod sensuum fallacias attinet, alibi forsan demonstrabimus, quod ii legitimati minimè fallere possint. Ex quibus patet, dari quidem veritatem, quamvis forsan in profundô lateat, & non nisi magnâ cum attentione eruatur.

§. VI.

*Philosophorum & iô verita- tentia va- ria.* Quid hoc criterium sit, quo veritas à falsitate dignoscatur, semper multum à Philosophis disputatum est. Plato, qui suas veritates ex ideis deducebat, in mente criterium collocabat, putans, sensus tantum mentem excitare ad intuendas ideas à primâ creatione impressas. Hinc Cicero de eô profitetur: Plato autem, inquit, omne iudicium veritatis, veritatemque ipsam, abductam ab opinionibus, & à sensibus cogitationis ipsius, & mentis esse voluit. Acad. Quæst. L. II. p. m. 1047. Aristoteles, uti in multis Platoni contradicebat; ita etiam ejus ideas labefactare conatus est. Aristotelici verò & mentem & sensus pro veritatis criterio agnoscunt, nam evidentem certamque cognitionem rerum singularium atque sensibilibum à sensibus petendam esse: primorum autem principiorum & eorum, quæ nullam cum sensibus cognationem habent, à naturali mentis lumine totam pendere, sensusque ideò interdum veros, interdum falsos, esse, defenderunt. Vide Christ. Thomasi Introd. ad Phil. Aul. c. 5. §. 26. p. m. 113. Stoici Antiquiores licet rectam rationem iudicandi instrumentum esse tradi-